

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
VERA FIDEI CHRISTIANÆ
NOTIONE ET INDOLE.

QUAM

Venia Max. Ven. Facult. Theol. Aboëns.

PRÆSIDE

Mag. JACOBO BONSDORFF,

S. S. Theol. Licent. & Prof. Reg. & Ord.

Publico proponit Examini

HENRICUS SNELLMAN,

Lector Sem. Ped.

In Audit. Phys. die 21 Nov. 1807.

Horis a. m. solitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

DISSERTATION

BY

WILLIAM BROWN CHRISTIAN
NOTHING AT INDIAN

Presented to the Faculty of the

UNIVERSITY OF

INDIANA

in partial fulfillment of the requirements for the


DEGREE OF DOCTOR OF PHILOSOPHY

in the Department of

English

by

WILLIAM BROWN CHRISTIAN



*F*idem in Christum, Doctorem quippe & Servatorem generis humani Divinum, utpote unicum, ne dicam maxime necessarium salutis obtinendæ adminiculum, tam sæpe tantaque vi & auctoritate Sacri urgent Novi Testamenti Pandectæ, ut *illa* pietatem omnem vitæque sanctimoniam, quam Diva intendit ac promovet Religio nostra, absolvi aut saltem niti facile dixeris. Est nempe *Fides* conditio sine qua Servator ipse sanctissimus, nullum regni sui hominibus pollicetur consortium, nullam Patri suo Coelesti sibi gratam in discipulis & confessoribus suis agnoscit virtutem. (Marc. 16, 16. Joh. 3, 14-18 & 36. 5, 24. 11, 25, 26). Est hæc itidem doctrina Apostolorum; *Fidem* scilicet ubique suadent, postulant, ut felicitatis per Christum partæ participes fiant nascentis Ecclesiæ cives. (Act. 10, 43. 16, 31. 1 Pet. 1, 5 & 9. 1 Joh. 5, 4. Imprimis vero Paulum in Fide præcipienda sedulum vide-

A

de-

demus & indefesum. Cfr. ex. gr. Rom. 1: 16, 17, præsertim Cap. 3, a) & totam ad Hebræos Epistolam, quæ scilicet naturam Fidei in genere egregie dilucidat).

Hinc itaque factum, ut vim & dignitatem Dogmatis facile præcipui, locus de Fide in Religione nostra sustineat, & divite tam verborum quam argumentorum apparatu & copia in Libris Ecclesiæ nostræ Symbolicis contra injustos quosvis hostium impetus defendatur. At gravissimam tamen hanc materiam, ulteriorem omnem (ex parte sua imprimis morali) non prorsus respuere explicationem, opprobria in hunc Confessionis nostræ articulum jactata, varia illa quidem & impia, verum plurima tamen, si pro summa sua dignitate, caute fatis & perspicue rem proposuissent Nostrates, sponte corruentia, te-
sta-

a) *Jacobum* Cap. suo 2 doctrinæ Pauli & ceterorum Apostolorum de Fide minime repugnare, quin potius argumentis idoneis eam confirmare & explicare, jam dudum optimi docuerunt Interpretes. Minus igitur recte Veteriores haud sane pauci, inter quos & Lutherus noster, spuriam habent egregiam Jacobi Epistolam, ea imprimis ex ratione, quod non Paulo tantum sit contraria, verum omni etiam Religioni Christi. Cfr. ROSENMÜLLERI in hunc locum *Scholia*, & *Præfationem* quam Epistolæ Jacobi præmisit. Item *Theologische Monatschrift für das Jahr 1801, herausgegeben von J. C. W. AUGUSTI*, 1 Bd. p. 167—180.

stari nobis videntur. Etenim justissimo in varios turpesque adversariorum circa Fidem abusus & errores ducti æstu & odio, illos ut refringerent, damnarent, contrarium, verbis saltim, non semper evitare visi sunt extremum; certe nimio, vel maxime quamvis excusando abrepti disputationis fervore, obscurius interdum & incautius sensa aperuerunt; quæ tamen aliis passim locis & occasionibus plenius adeo & excellentius exposuerunt, ut suis semper summis his & cordatisimis viris constet honor b). — Disertationem itaque Theologicam benevolo Lectoris examini modeste oblaturo, in Doctrina de *Fide Christiana* satius paullo enucleanda vires

A 2

peri-

b) "Auch ist nicht zu läugnen, das diese Lehre bisweilen von Lehrern unsrer Kirche zu unbestimt vorgetragen, und von Mitgliedern unsrer Kirche so missverstanden und gemisbraucht ist, als wenn ein blosser historischer Glaube an Gottes Gnade, welche allen, die an Jesum Christum glauben, ihre Sünden vergeben und ewige Seligkeit schenken wolle, schon der Vergebung der Sünde und der ewigen Seligkeit theilhaft mache. — Doch dieß war durchaus nicht der Sinn und die Absicht der Behauptung der Reformatoren unsrer Kirche, wie Melancton in der Apologie des Augsburgischen Bekenntnisses deutlich genug erklärt, und Luther in seinem Streit gegen Johann Agricola, und die Antinomos oft und ernstlich erinnert hat." Handbuch der Christl. Glaubenslehre von J. C. R. ECKERMANN, 4 Band p. 45. Cfr. DOEDERLEIN II *Inst. Theol. Christ.* P. 2. p. 661, 662. It. STÄNDLIN *Grundriss der Religionslehre* pagg. 206 seqq.

periclitari qualescunque in animum induximus. Ut autem singula persequendo, naturam & indolem Fidei nostræ penitus perspicere nobis liceat, tres illas Fidei partes, ex auctoritate ipsius Jesu (Marc. 4, 20. Cfr. 1 Thess. 2, 13) enumerari solitas, *Notitiam* quippe (το ακουειν), *Assensum* (το παραδεχεσθαι), & *Fiduciam* (το καρποφορειν), sigillatim perstringemus c).

Notitiam itaque primum quod attinet, vicem
fal-

-
- c) Cum duæ præsertim in N. T. occurrant significationes formulæ της εις χειρον πισεως, latior altera, altera vero strictior, solent Theologi, imprimis autem & jure in speciali de Justificatione hominis peccatoris doctrina, *Fiduciam Christi*, a *Fide*, qua *omni Doctrina Jesu in genere tribuitur* distingvere; nos autem in præfenti hac Dissertatione de *Fide Christiana in univèrsam* agere, monere vix necessarium ducimus. Ceterum, cum ο λογος τε σωzes cum omni τω λογω τε θεz tam arcto tamque indivulso cohæreat nexu, ut neque vera illi habenda *Fiducia*, nisi sinceram insimul huic tribuamus *Fidem* (qua & ipsa πιστευει εις χειρον dicimur Joh. 8: 30, 31) cogitari possit, multo minus vim suam in animos beneficam exferere; neque ingenua *Fides Christiana*, sine vera in Christum fiducia locum habere queat; cum porro *Fides hæc in Christum Specialis*, vel incautius proposita, vel justo strictior animo concepta, in varios trahi & possit & soleat abusus, vim divæ Religionis nostræ salutarem facile tollentes (Luc. 6: 46); non nisi magna cum attentione distinctionem hancce faciendam esse nos quidem putamus.

fallacis ingenii humani flexibilem mirari, aut desere potius haud fatis poteris, tot & tantas de vera illius indole motas esse controversias, multosque nostris adhuc diebus inveniri homines, qui cæco quodam ducti pietatis studio, aut immediatam, quæ extra omnem rationis & meditationis usum hominibus contingat Spiritus Sancti illuminationem expectent, aut nobile sane & homine dignum christiano Fidem suam probandi attentiusque examinandi studium, ceu noxium reformident ac præposterum; verum quippe, castum & religiosum rationis usum, ab impio sacra quævis evertendi pruritu distingvere ignorantes. — Cum autem omnis Doctrina Christi Salvifica, aut *Emendationem* voluntatis nostræ spectet, aut animi *Tranquillitatem* (*Pacationem*); cum itaque, ut omnis in genere veritas moralis, quo in vitam agat & voluntatem, rationi primum & intellectui — quantum in re tam altæ indaginis fieri possit — informari debeat, & argumentis pro dignitate sua attente ponderatis interno rationis probari testimonio; cum inquam omnis sit *ευλογία πνευματική* (Eph. 1, 3), & ad naturam nostram moralem tota pertineat: cuicumque, ad ductum tam rationis quam Scripturæ Sacræ rem cogitanti, sine ullo patebit negotio, Coelestem Religionis Jesu Doctrinam tum demum in animos agere, tum demum tenebras excutere mentis humanæ, tum demum vim suam ac virtutem divinam nobis ostendere ad *διδασκαλίαν*,
ελεγ-

ελεγχον, επανορθωσιν, & παιδευαν (2 Tim. 3, 16) d), si serio, eam recte cognoscendi & intelligendi conatu ac proposito, sincero veritatem ejus ac præstantiam mente percipiendi consilio, assiduoque & ardenti persuasionem certam & definitam de divina ejus virtute & dignitate, ex notitia quippe credendorum clara & liquida oriundam, nobis vindicandi studio, Eam mente pia & attenta scrutamur & perpendimus e). Sic enim probatam illam & explicitam

d) Hæc est vis illa & efficientia Verbi Divini *Moralis* (*Logico-Moralis*), quam *sensu eminentissimo* saniores omnes illi tribuunt (Cfr. ex. gr. G. C. STORRS *Lehrbuch der Christl. Dogmatik* pp. 738, 741. MORI *Comment. P. 2. p. 405* seqq & ECKERMANN l. c. p. 458); quæ tamen non impedit, quo minus per Spiritum S. Deus aliud etiam & superius sinceris nostris conaminibus largiatur auxilium; hac enim duplici sua vi & efficacia Doctrina Christi sanctissima est *δυναμις Θεου εις σωτηριαν παντι τω πισενοντι* (Rom. 1, 16). Ex qua etiam ipse & pertvacione, pia pro illuminatione mentis suæ cum Davide (Pl. 119, 18) ad Patrem hominum Coelestem vota fundit bonus quivis ac ingenuus Christianus.

e) *Die Menschheit ist unstreitig, so wie in allen Stücken also auch in der Religion, zu einer vernünftigen, hellen Einsicht und Ueberzeugung bestimmt. Nur das was wir aus reinem Vernunftgründen einsehen, bringt eine feste, sichere, unwandelbare, deutliche und in allen Fällen anwendbare Erkenntniß hervor, &c.* STÄUDLIN *Grundr. der Tugendlehre* p. 16.

tam Doctrinæ Christi nobis vindicabimus noticiam, quæ sola virtutem gignit vere Christianam, mentemque contra quosvis dubitationum imperus facile obvios (Eph. 4: 14), quin immo contra ipsam mortis acerbiter conservat intrepidam. Non itaque uno tantum loco ad verum hocce & ingenuum Religionem suam explorandi & examinandi studium Servator ipse homines exhortatur (Matth. 6: 22, 23. 13: 11-15. 19. 23. Luc. 8: 18), neque fidem Sibi postulat cæcam & præcipitatum, verum notitia, argumentis & persuasione comprobata (Joh. 8: 45-47. 5: 31-47). Neque vero Apostolos a Doctore summo & divino hac in re alienos reperiis; ad prudentem scilicet in rebus Fidei semper & ubique provocant curam & diligentiam. (Act. 17: 11. Eph. 1. 17-19. 1 Theff. 5: 21. 1 Pet. 3: 15. 2 Pet. 3: 18. 1 Joh. 4: 1).

Liquet itaque officiorum esse facile sanctissimum, adhibita diligentiore ad Doctrinam Christi attentione, claram ejus & explicitam nobis comparare noticiam; ut, *cur* divinam habeamus Religionem nostram certi scientes, vim illius salutarem ad pectora admittamus. Sed vero, non omnis ad Christum ducit notitia. Ea igitur, quam hæctenus laudavimus sincera Religionis Jesu probatio & disquisitio, qualis, ut veram promoveat Noticiam esse debeat, paucis pro instituti ratione videamus.

Primum scilicet de ea Religionis disquisitione, quæ ope solius *Rationis Theoreticæ* peragitur, eo utique minus hoc loco quæstio oboritur, cum plurima & certe præcipua sanctissimæ Religionis nostræ capita, ex eo fonte non cognoscantur, neque præstantia eorum plene sentiatur. Quo enim fine & consilio coelitus per Christum nobis contigit Revelatio Divina? Ut ignorantia nostræ opituletur spiritali, ut imbecillitati succurrat, defectus tollat & expleat ingenii humani. Quales porro res & veritates ejus auxilio nobis innotuerunt? Plurimæ certe & primariae ejus sunt generis, ut non modo sensuum omnem fugiant aciem & experientiam, verum etiam, cum vel positivæ sint vel altioris indaginis, ex principiis *Rationis Theoreticæ* intelligi, deduci & strictè demonstrari non possint, h. e. ut Notitiam & Certitudinem *Objectivam*, quam dicunt, *Apodiëticam* & *Intuitivam* non admittant. (τα πραγματα & βλεπομενα. Ebr. 11: 1). — Multa igitur nostrum superantia captum, nobis impervia & incomprehensibilia pro natura sua Revelatio contineat necesse est. In his vero cognoscendis & dijudicandis, quam limitatura, quam incertum, quam ad persuasionem insufficientem erit munus *Rationis Theoreticæ*? Nullum fere aliud ejus erit officium quam videre, ne principiis suis certis & indubitatis repugnet Revelatio. Ex hoc autem solo argumento, quis veritatem Revelationis sibi certo persuadere, cum multa in infinito possibili-

lita-

liam mundo fingi possint ejusmodi, quæ rationi non repugnent?

Qualem itaque ad Fidem quærimus Notitiam? Eam certe, quæ ex summa Religionis Christianæ vi & præstantia practica, veritatem illius & originem imprimis videt & cognoscit divinam. Singulari scilicet Dei beneficio, quo factam nobis per Christum Revelationem ad practicum finem tendere voluit, & necessitatibus nostris moralibus strictissime illam accommodavit, inhærent Religioni nostræ argumenta quam plurima & efficacissima, quæ ad *subjectivam* nostram & *practicam* de divina ejus virtute & auctoritate persuasionem, optime sane sufficiunt f). Sic fini, quo Revelationem Divinam homi-

B

ni-

f) Cfr. HEYDENREICH'S *Betracht. über die Phil. der Naturl. Religion* 1 Band. 6te Betr. pag. 210. seqq: it. REINHARD'S *System der Christl. Moral.* 2 Band §. 208: *Christliche Glaubenspflicht.* — Ceterum ex ipsa notione Fidei ejusque significatione, qua *Scientiæ* opponitur, subjectivis hujusmodi eam niti patet argumentis; quibus tanto tamen tutius persuasionem nostram superstruere fas est, quanto certius omnis Res Moralis ejusque realitas ex iisdem cognoscatur & credatur argumentis, sano tamen nemini incerta. Non quidem ignoramus veritatem & divinitatem Religionis nostræ sanctissimæ, ex argumentis etiam agnosci & demonstrari *Externis*, vim objectivorum & apodicticorum optimo suo sustentibus jure; qualia sunt miraculosa ejusdem & supernaturalis in teris Patefactio, Miracula a Christo, dum inter homines

nibus patefactam postulamus plenissimo respondet modo: morali hominis arctissime convenit naturæ & indigentia: virtutem humanam divino promovet auxilio, verbo, est *δυναμις θεου εις σωτηριαν*, (Rom 1: 16) rationi sanæ minime contraria, eandem quamvis transcendat g).

De

degeret, edita, e. f. p. sed hæc magis ad notitiam Religionis pertinent Historicam (quam apud quemvis jure præsumimus Christianum), & fide approbantur, saltem approbari possunt, tantum Historica, cui ab incunabulis innutriti solemus. Horum autem veritatem summamque & divinam probandi vim, quamvis optime agnoscat verus quivis Christianus, sola tamen eorum cognitione & auctoritate non acquiescit, neque proximam suam illis tantum adstruit persuasionem, (Matth. 12: 39. Joh. 6: 30-38) practicam magis & moralem ex internis divæ Religionis suæ affectionibus & virtutibus quærens fidem, quæ ex Miraculis deinde & externis quæ habentur Religionis documentis, vim & probationem lucratur ultimam.

- g) Egregie pro more suo hac de re disserit HEYDENREICH l. c. *Die Begriffe des Widersprechenden und Unbegreiflichen werden nur zu oft von Theologen und Philosophen verwechselt, ein Fehler, welcher den Gegnern der Offenbarung nicht anders als sehr erwünscht seyn kann. So gerecht die Forderung ist, dass eine wirkliche göttliche Offenbarung nichts widersprechendes enthalte, so ganz vermesen ist das Verlangen, die Hauptgegenstände derselben begreifen zu wollen*" 2 Band p. 204. — Aliter autem judicant recentiores haud pauci, qui impia in sanctissima

De his itaque, de horum vi & auctoritate pie
& ingenue iudicet Ratio, ut claram non tantum &
liquidam nobis comparemus Doctrinæ Christi Noti-
tiam,

B 2

quævis Religionis nostræ Myſteria invehuntur vehemen-
tia. Ex uno ceteri cognoſcantur. *Das Weſen des
Chriſtenthums beſtimmt einer Reihe überſinnlicher, un-
begreiflicher Sätze, z. E. die Lehre vom Sohn und Geiſt,
von der übermenſchlicher Würde Jeſu, von der durch ihm
bewirkten Erlöſung, Verſöhnung &c. von Auferſtehung,
Himmelfahrt &c. Da nun das Eſſentielle unſerer Reli-
gion nothwendig durch einen ſichern Prüffſtein auszumitteln
und zu berichtigen iſt, dieſer Prüffſtein aber, wenn man
das Denken in Sachen der Religion zu keiner Contrebände
machen will, kein anderer als die Vernunft ſeyn kann,
wie willkürlich, unhaltbar, und unſtatthaft erſcheinen jene
Sätze in der Reihe weſentlicher Glaubensgegenſtände? &c.
AUGUSTI l. c. 1802, 2 Band pagg. 192, 193. Item alio
loco hæc habemus ejusdem verba, de Conceptione ſcili-
cet & Natalibus Chriſti diſerentis: *Verwirrt und betrof-
fen tritt die forſchende Vernunft von dem Berichte der
Evangeliften Mattheus, Marcus und Johannes von der ü-
bernaturlichen Empfängniß Chriſti zurück, iſt gezwungen
ſich mit ihrem ganzen autokratiſchen Gefühl einem höheren
Widerſpruch zinsbar zu machen, wenn jener ungeheuren
Wundererzählung keine National-idee zum Grunde liegt;
denn es überſteigt nicht nur unſer ganzes Denken, ſon-
dern ſtreitet mit allen Geſetzen deſſelben, auf eine überna-
türliche Art durch geheimes phyſiſches Einwirken (eine of-
fenbare Contradiſtio in Adjecto) eines überirdiſchen oder
Göttlichen Weſens empfangen zu werden. Hier iſt das
wahre Crux aller Menſchenvernunft, und es iſt leichter,**

tiam, verum eam insimul, salutarem & pretiosam nobis reddamus Religionem nostram. In singulis scilicet, quas patefacit veritatibus coelestibus, in primariis ejus præsertim capitibus, Rationem transcendentibus, quales sunt *Redemptio*, *Justificatio* &c. serio, pio & indefesso in id incumbamus studio, vivide ut videamus, vel sentiamus potius, quam arctocum natura nostra morali cohæreant nexu: quam sint nobis, quatenus morales sumus homines scitu necessaria: quantum insideat animis nostris desiderium, quanta necessitas ea cognoscendi & arripiendi: qua denique perfectissima, Deo dignissima, nobisque utilissima ratione his pectoris nostri satisfaciant votis ac desideriis. Hæc demum est vera illa Doctrinæ Christi probatio, & salutaris illius Notitia, quam

neue Sonnensysteme zu entdecken, in dem absoluten Ich den Schöpfer der ganzen Sinnewelt zu finden, und im Todtengebeinen Keime neuer Menschenformen zu sehen, als einen solchen Zeugungsakt denkbar zu glauben. — Aber wirft nicht die Annahme des gedachten Mesianischen Glaubens — einen Lichtstrahl in die bange exeg. Finsternisse der Entstehung Jesu? Aus der Fixen Idee von der göttlichen Würde des Mesias stofs nothwendig die als Introductionsvehikel der Person Jesu aufgestellte Sage von seinem wundervollen werden.” l. c. p. 13, 14. — Et hæc intra Ecclesiam, inter ipsos Doctores Religionis aguntur controversiæ!! Sed neque ex altera parte leviter errant, qui Deum quasi *ex Machina* vocantes, *sola Mytheria*, *sola Miracula*, in Religione Jesu vel maxime practica & populari quærent.

quam ipse Christus indicat, præcipit: εαν τις θελη το θελημα αυτε (Dei, mittentis me) ποιειν, γνωσεται περι της διδαχης, ποτερον εκ τε θεε εστιν, η εγω απ εμαυτε λαλω (Joh. 7: 17); quam vero notitiam nemo nisi probus & sincerus capere poterit, nemo sine interno Dei auxilio feliciter persequi valebit. (Phil. 2: 13).

Hæ itaque & similes aliæ, si in Religione per Christum patefacta inveniantur Revelationis virtutes — quis autem non inveniat? — sufficiant nobis ad Notitiam -- sufficiant ad Fidem & Persuasionem; ne inutilibus & perniciosis, vim Religionis practicam facile tollentibus, veroque Doctrinæ Jesu genio & indoli maxime contrariis (Joh. 1, c. 1 Cor. 1, 21, 22. 2, 13. Col. 2, 7, 8.) nos demus trucidis & speculationibus (h), aut statos Rationis limites, ultra
quos

-
- h) Quantum igitur contra piam & unico veram quam hætenus diximus Religionis nostræ probationem peccant, qui certo quodam & destinato Scripturam Sacram contorquendi, & dogmata ejus præcipua rejiciendi consilio, Doctrinam Christi examinandam sumunt, vel mox patet. Neque eorum nostris diebus parva est cohors. *Es ist leider nun der Fall das man jetzt die Bibel erklärt in der bestimmten Absicht, um hier ja keine Beweisstellen für ein Dogma zu finden, das man gerne aus der Christlichen Religionslehre ausschliesen möchte. Voraus ehe man zur Lectüre der Bibel übergeht, hat man schon entschieden, welche Christliche Dogmen (wegen vermeintlicher oder wirk-*

quos ascendere mortalibus non datur, audaci frangamus pertinacia. *Creduntur enim, non Sciuntur res divinitus revelatae.* ΔΙΑ ΠΙΣΤΕΩΣ ΠΕΡΙΠΑΤΗΜΕΝ, & ΔΙΑ ΕΙΔΕΣ; (1 Cor. 5, 7.)

Plenam autem & salvificam, quam dicunt, in homine Christiano Fidem quærentibus, sola non

licher Uebereinstimmung mit den Religionswahrheiten der Vernunft) man noch beybehalten, welche man dagegen vernichten will. Findet sich denn nun zum Unglück Stellen in der Bibel, welche für jene Dogmen zu sprechen scheinen, deren Verbannung schon beschlossfen ist, so bleibt kein Mittel unversucht, um diesen Stellen einen andern Sinn beyzuliegen, und oft anzunöthigen. — Ist dies ein unbefangenes Verfahren? — Allg. Bibliothek der neuesten Theol. und Päd. Literatur, herausgegeben von J. E. C. SCHMIDT und F. H. C. SCHWARTZ: 5ten Bandes 1 Stück pag. 4. — Cfr. AUGUSTI'S Theol. Monatschrift 1801, 1 Band pag. 316 &c. Cum horum errore proximo quodam affinitatis vinculo eorum cohærere videtur, qui prope infano quodam abrepti ratiocinandi studio, subtilioribus & philosophicis de Dogmatibus Religionis, Rationi impervius, indulgent disquisitionibus, magis nimirum quid per se quam quid nobis sint præpostera & infructuosa quærentes diligentia; namque præterquam quod vim eorum & efficaciam moralem & practicam facili sic destruant opera, fidem etiam & animi tranquillitatem, laqueis irriti inexplicabilibus, periclitantur: ex quo pronus deinde & obliquus ad Rationalismum aut Naturalismum erit transitus. Cfr. NIEMEYER'S Handbuch für Christl. Religionslehrer, 1 Th. pag. 307.

non sufficit Notitia; neque, si modo vera fuerit, sola facile manebit & *Assensu* vacua *i*). Hunc itaque paucis inspiciamus, ut qualis sit illius indoles, qualis ad moralem hominis naturam habitus, inde pateat.

Primum itaque patet *Assensum* verum sine vera Religionis Notitia locum obtinere non posse. Qualis autem est vera hæc Notitia? — Non Litteralis tantum & Mortua, non Intellectus tantum & Memoriam, sed Cordis, sed Pectoris, conjuncta cum firma & inconcussa Mentis persuasione de vi & præstantia Religionis nostræ divina. Tribuitur itaque verus de quo hic agimus *Assensus*, tanquam effectus hujus Notitiæ, tam omni Doctrinæ Jesu in genere, quam singulis ejusdem capitibus, non ex causa aliqua externa (quæ externum tantum affert *Assen-*

-
- i*) Neque enim nostra ex sententia tribus suis partibus ita continuatur Fides Christiana, ut per varias quasi stationes variosque gradus progresum ejus discernere liceat; est nempe Notitia vera tam arcte cum *Assensu* conjuncta ingenue, & cum illo iterum vera in Christum Fiducia, ut eodem fere momento, quo Doctrinam Christi vere cognoscimus, illi etiam assentiamur, veramque suscipiamus Fiduciam. Quum tamen, ut doctrina de Fide Christiana plenius ac evidentius exponatur, distinctio hæc, Nostratibus recepta, mente saltim & cogitatione fieri & possit & debeat; nos eandem, perspicuitatis causa, sequi non dubitavimus rationem: sic tamen, ut ex dissertatione nostra, quid de ipsa partium harum inter se conjunctione sentiamus, insimul appareat.

sensum), neque propter Theoreticam tantum animi persuasionem (quæ sane persuasio intra intellectum plerumque manet, & Assensum gignit mere Theoreticum); verum potius, propter perceptam & actu probatam a conscientia nostra & sensu morali vim ejus divinam & efficaciam, ad animum peccatoris corrigendum ac pacandum, ad tollendam miseriam generis humani moralem, nosque Deo Parenti optimo reconciliandum. — Verum igitur Deoque gratisimum Doctrinæ Christi sic non tribui putamus Assensum, si, ut pio quidem nonnullis placet consilio, propter *solum*, quam Deo, Auctori scilicet Revelationis, ejusque attributis ac perfectionibus debemus *reverentiam*, Religioni nostræ ejusque adsentimur veritatibus. Minime quidem ita, quasi causam Assensus justam & idoneam non continerent sanctissima hæc & gravissima momenta, — quæ quippe vim & robur ultimum omni addunt Fidei Christianæ; — sed quia, si sola adsunt Fidei argumenta, Assensum in plerisque *Externum* tantummodo efficiunt (*k*); non *Practicum* illum, *Moralem* & *Sub-*
jecti-

k) Non quidem ignoramus existere etiam Assensum vel maxime moralem e contemplatione *perfectionum Divinarum* elicatum; at vero pauci sunt homines hujus capaces. Multi, rudiores præsertim, Vindicem in Deo vident, non Patrem, Ens supremum, non Optimum e. s. p.

judicium, nobis firmisimum (ελεγχον, υποστασιν βεβαιαν, πληροφοριαν της πισεως), qui ex necessaria quadam & interna mentis ac pectoris persuasione, & prope non supprimendo quodam Sensus moralis ac conscientiae oritur testimonio; quem igitur Religioni Jesu sanctissimae, probum quemque tribuere tam decet quam oportet Christianum.

Quae cum ita sint, pro certo habemus, neminem nisi qui bonum quendam, negative saltem correctum teneat animi statum & habitum, aut praecedente Religionis notitia, aut beneficio Rationis excitatum, h. e. nisi moralem suam cum dolore videre possit & agnoscere miseriam, virtutisque cum amore sentire praestantiam, verum hunc & subjectivum Doctrinae Christi admittere posse Assensum (1). Quod si, ut Bono, Vero, & Honesto in genere, cum sensu quodam jucunditatis mens afficiatur, morali quadam opus habemus cultura, aut pectore saltem percipiendis hujusmodi sensibus facili & aperto;

C

to;

1) Optime haec conveniunt cum doctrina Scripturae Sacrae de auxilio & assistentia Spiritus S. ad assensum Religioni tribuendum (*gratiam Preparantem* dicunt); consistit enim — (quantum rem divinam cogitatione humana complecti liceat) — in promovenda illa mentis humanae affectione, qua sola ad sentiendam Religionis Christi praestantiam fit idonea. — Ceterum neminem offendat quod correctionem quandam animi Assensum praecedere diximus; nam differt haec a *contritione* quae in Fiducia suscipitur.

to; quanto utique magis ut Doctrinam Christi sanctissimam, virtutem præcipientem purissimam, sincero & interno probare possimus assensu, pectus & animum suscipiendo virtutis amori & studio bene præparatum habeamus necesse est? (Ψυχικός άνθρωπος ἔδεχεται τὰ τῆς πνεύματος τῆς Θεοῦ. ὁ δὲ πνευματικός ἀναγκάζει μὲν πάντα. I Cor. 2: 14, 15.) Quid? quod Servator ipse, optimus ille Fidei iudex, innocentiam quandam & integritatem animi sepiissime postulat, ut assensum doctrinæ suæ præbiant homines (Matth. 5, 3. 11, 25. Marc. 10, 14, 15. Luc. 18, 16, 17) (m), & Judæis perversitatem eorum ac corruptionem utpote causam objicit, cur præstantiam & veritatem novæ Religionis non viderent: ὁ ὧν ἐκ τῆς Θεοῦ τὰ ῥήματα τῆς Θεοῦ ἀκούει δια τῆτο ὑμεῖς ἐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τῆς Θεοῦ ἐκ ἐσῆ. (Joh 8, 47.)

Sed ut rem exemplo illustremus; qualem verus Christianus dogmati Reconciliationis, omnium certe in Religione nostra præcipuo tribuit Assensum? Nonne omnis e persuasionem pendet primum de Sanctitate Legis Moralis, nostraque eam servandi obligatione; deinde de imbecillitate nostrâ & im-

per-

m) Jesus und die Apostel lehren selbst, dass Einfachheit, Unschuld und Unverdorbenheit des Herzens, Gutmüthigkeit und ein gewisser Grad moralischer Cultur schon erfordert werden um an Jesum und seine Lehre wahrhaft glauben zu können. STÄUDLIN l. c. 3 B. p. 675. Cit. 1 Band pagg. 21-23.

perfectiōne morali, — de necessitate igitur accedentis singularis ejusdam Dei gratiæ ut salvemur? Qualem vero mentem persuasio dicta postulat? Nonne sanctitatis officiorum vivide consciam, dolore imperfectiōnis fractam & agitatam, desiderio liberationis e miseria morali flagrantem? — Quantum itaque ab animo adhuc corrupto abhorret iste Assensus?

Jure igitur Assensum tam mere Theoreticum, quam qui *soli* Revelationis Auctoritati superstruitur veram non gignere Fidem contendimus; illum unice verum Deoque gratisimum habentes, qui certa & interna nititur pii & sinceri animi persuasione.

Quorsum vero Assensus hicce concipitur? Quorsum omnis Religio Jesu ita est comparata, ut præter auctoritatem qua pollet divinam, intimo cum piis naturæ hominum moralis votis ac desideriiis conveniat contentu? Quorsum? Nonne ut sensus meliores excitato odio ac pudore pravi vere induamus? nonne ut ea quæ solatia & promissiones ferunt, ad tranquillandum animum imbecillitatis suæ consciūm avide & cum fiducia arripiamus? Ut sic duplicem Religionis Christi finem, *Emendationem* animi nostri & *Consolationem*, demum impleamus? — Atque hoc est illud καρποφορεῖν, quod, ut ad Notitiam & Assensum accedat ipse Servator postulat

C 2 (Matth.

(Matth. 13, 23. Marc. 4, 20). Hæc est *Fiducia* illa quam in Fide vere Christiana necessariam urget Ecclesia nostra, apto quidem nomine & vocabulo, si modo ad veram ejus attendamus naturam & indolem (n).

Quamvis scilicet Fidem Religioni Christi in genere habendam hætenus vidimus, hoc tamen loco, quando de plena & ultima Fidei Christianæ in animis hominum consummatione quæstionem movemus, omnia certe ad Christum *Servatorem* ejusque redeunt *Fiduciam*, per quem & propter quem, ut omnia nostra habemus bona spiritualia, sic etiam & præcipue animis *emendamur* & *tranquillamur*. Namque præterquam quod ceteræ omnes quibus

n) Quot & quantæ nobis cum Pontificiis præsertim de vocabulo *Fiduciae* fuerint rixæ & controversiæ, neminem vel modice in Historia Religionis versatum fugit. Neque hoc mirum; quamvis enim multi ex aperta malitia hanc Fidei partem impugnarent, plurimi tamen cæcam & inertem Meriti Christi fiduciam nos commendare sincere putarunt: non quippe videntes *vim* illam *moraalem* & *emendantem*, quam ad mores hominum corrigendos efficacissimam continet *Fiducia*, ita quidem necessariam, ut loco illi non dato, neque bona Fidem sequantur opera, neque *Meritum Christi vicarium* saluti alicui offeratur. — Lutherum vero illam quoque in *Fiducia* plena (justificante) postulasce, interdum quamvis ambigue rem proponeret, multa sane testantur argumenta.

quibus per fidem assentimur Religionis veritates ad *Christum* pro nobis *mortuum*, ut ad caput suum diferte provocant; ipsa hæc doctrina quam de *morte Christi* & *supplicio* patefacit Religio nostra, tanta & tam præpotente vi & efficacia in nobiliores omnes & morales animi affectiones, quin immo in ipsam sensualitatem nostram & phantasiam agit, ut, quamvis omnibus quidem Doctrinæ Jesu veritatibus sanctissimis, suffragante conscientiæ voce libenter assentiamur, hanc tamen, ferente interna quadam necessitate morali, imprimis arripiamus, suspenso contemblemur ac volvamus animo, & ingentem illam ex ea gigni & excitari sentiamus commutationem animi moralem, quam hætenus in fide desideravimus.

Concepta enim certa, quam supra descripsimus, animi persuasionem, *Christum Dei Filium* sanctissimum, cellissimum, pro infinito suo in nos amore fortem induisse humanam, pauperrimum inter ingratos vixisse & contemtissimum, ut nos corruptos & crassissima mentibus offusos caligine, exemplo corrigeret, doctrina institueret: supplicium porro dedisse gravissimum, mortem subiisse crudelissimam, nos ut miseriæ eriperet, Deo reconciliaret, cœlis redderet: — concepta inquam hac persuasionem, menti impressa, pectori infixam; quis nisi omnium corruptissimus, (nemo autem corruptus hanc vere admittet persuasionem) pudore peccati, dolore & odio perversitatis, innocen-

centissimum morte multantis, pectus suum fortissime perculsum non sentiet? quis nisi omnium abjectissimus, & summi turpiter immemor beneficii, amorem hinc non suscipiet Patris sui Cœlestis ardentissimum, qui cum nisi immenso tali redemptionis pretio (Rom. 5, 8. 1. Pet. 1, 19) amisam generis nostri salutem reparare non potuit, unico non pereit filio dilectissimo? (Joh. 3, 16.)

Primum igitur in Fiducia — (si quidem diversos hic actus distingvere liceat) — vel, ut docent Theologi, necessaria quæ Fiduciam antecedit conditio, est odium pravi, & *seria animi correctio* (o), non illa quidem servilis & metu pœnarum excitata, sed *moralis* tota, sed amoris plena & sinceritatis (p), quæ

o) Cfr. de his STORR l. c. pagg. 771 seqq. it. ALMQUIST Comment. pagg. 497 fqq.

p) Hinc etiam immortalis Lutherus noster non uno tantum loco eam ceu spuriam rejecit Pœnitentiam, quæ ex solo peccati terrore conscientie incusso exoritur, hanc e contrario diligenter urgens, quæ amore Dei & Jesu Christi ellicitur. "Es gehörte unter die ersten auffallenden und auch durch die berühmte Bulle verdamnten Sätze Luthers, dass diejenige Reue, welche nur aus der Betrachtung der Größe und der schädlichen Folgen unserer Sünden entsiehe, nicht nütze, sondern bloß diejenige, welche aus der Betrachtung der Liebe Jesu entsiehe, und diesen Satz vertheidigte er auch aufs stärkste in der Schrift, welche er wider

quæ sola Deo placet, sanctissimo pectoris Scrutatori, (2 Cor. 7, 10) & quam sola Religio Jesu, morali scilicet hominum naturæ ex Paterno consilio Divino accommodatissima, apud mortales efficere valet.

Sic autem e contemplatione mortis & supplicii Christi oborto dolore perversitatis gravissimo, & excitata fortissime imperfectionis conscientia, paratum est nobis solatium, paratum ad Satisfactionem Christi (*απολυτρωσιν εν χριτω ιησθ* Rom 3, 24) refugium, quæ sola & anteriora nostra delet peccata, (Matth. 20, 28. 26, 28. Marc. 10, 45. Joh. 10, 11. 15. — Rom 3, 24. Eph. 1, 7. Col. 1 14, 20.) & imperfectionem virtutis nostræ compensat, h. e. veram animi efficit *Consolationem*. Hanc itaque Satisfactionem Christi vicariam, solatii plenam, cum fiducia (*εν πισει ιησθ χριση, πισει εν τω αιματι αυτη*. Cfr. Rom. 3, 22. 25.) tibi applicat, apprehendit vere in Christum credens. Sed cur & quomodo? Num iterum ut pœnas effugiat quas peccatoribus minitatur vindicta divina (*Fidem mercenariam, Assumptionem utilem merito dixeris*)? Minime: hic enim metus servilis mentem prodit a contritione
quam

die Bulle herausgab." STÄUDLIN l. c. p. 692. Cfr. DODDERLEIN *Instit. Theol. Christ.* P. P. pag. 631. Huc etiam pertinent controversiæ de differentia inter *Attritionem* & *Contritionem* diu vel ante Lutherum inter Scholasticos agitatae.

quam diximus vera, — a genio Christi longe alienam. (Rom. 8, 15.) Quid enim ingratum magis, quid ipsi hominum naturæ magis contrarium, quam ex timore ad illum accedere, qui, ut amore sui ad virtutem amandam nos impelleret, amorem morte obsignavit? — Cur itaque? Ut dignum se præstet immenso tanti Benefactoris amore: ut in gratiam cum Deo, omni Sanctitatis & virtutis fonte per Christum redeat (Rom. 5, 1): ut amisum peccatis pretium morale per Christum restituat: ut sublato dolore perversitatis gravissimo, tranquilla in posterum mente & firma in Deum fiducia, virtutem exercere possit vere Christianam (q).

Et

- q) *Der Glaubende findet es blos darum nöthig, sich Christi und seiner Vermittelung zu trösten, weil das Gefühl von der Heiligkeit der Pflicht bey ihm so lebhaft, und die Achtung gegen dieselbe so groß und unbedingt ist, dass er, was sein verflorrenes Leben und die damit verknüpften Vergehungen betrifft, keine andre Hilfe zu finden weis, als in eignen Veranstaltungen Gottes zu seiner Begnadigung; und dass er was die Zukunft und seine Beszerung anlangt, sich genöthigt sieht, auf den höhern Beystand seines Schöpfers zu rechnen, und daher alles zu ergreifen, was ihm dieser zu seiner Ermunterung und Stärkung darbietet. Die Achtung und Erfurcht gegen die Forderung des Sittengesetzes kann daher unmöglich reiner seyn, als hier.* REINHARD I. c. p. 25. — Sed quamvis moralem sic esse Fidem veram contendimus, non tamen doctrinam Ecclesie impugnamus, hominem scilicet per Fidem (διὰ τῆς πίστεως) ut εργαζομαι ληπτικον, non propter Fidem (διὰ τὴν πίστιν) justificari & servari; quæ quippe certis & in-

Et ita quidem divina Religio Jesu sanctissima, per fidem, quam paucis proposuimus, salutarem illam animi humani efficit immutationem moralem, quæ sola nos vere corrigit, emendat, & pectora dolore, non metu percussa, Deo Parenti Optimo per Christum reconciliat. Hanc autem Fidem, e fonte morali exortam purissimo, *fructus origine digni* (ἀξια τῆς μετανοίας ἔργα Act. 26, 20. καρπὸς ἀξίος τῆς μετανοίας Matth. 3, 8) sequuntur. Non enim intra mentem iners & infructuosa manet Fides sincera & vera, sed ex eodem dolore & odio pravi, ex eodem amore Christi, ex eadem in Deo spe & fiducia,

D

cia,

dubitatis innititur. S:ræ S:ræ dictis. (Cfr. Rom. 3, 22. Phil. 3, 9. Eph. 2, 8). Fides enim vel maxime moralis, quatenus gratiam tantummodo *admittit*, & *objective possibilem* reddit, *positivum* aliquid aut *operatum* non continet, neque ipsam justificationis *causam* efficit; & quamvis virtus sit vel maxima, Deoque gratissima, Christo vere confidere, *Ille* tamen est *caussa* Salutis nostræ ultima. Idem docet STÄUDLIN (*Religionslehre* p. 675) *„Selbst der Glaube als Zutrauen zu der unendlichen Güte Gottes um Jesu willen kann eine moralische Empfindung und Gesinnung in sich schliesen, ob er gleich dem Verdienste der Werke entgegengesetzt wird; ja man muß nach der Analogie der Christlichen Lehre bey demselbigen etwas Moralisches, und zwar nicht bloß als Folge sondern auch als Voraussetzung, ja als in derselbigen eingeschlossen, annehmen, womit die anderweitige Lehre gar wohl bestehen kann, daß wir auf keine weise durch unser moralisches Verdienst selig werden, daß uns Gott die Seeligkeit nicht als etwas Schuldiges, sondern aus blosser Gnade zutheilt.“*

cia, virtutibus vere Christianis (bonis operibus) per vitam omnem credentis operosam se arguit & ostendit. (Eph. 2, 10. Gal. 5, 22, 25. Jac. 2, 18). Neque longa, ut putamus, eget demonstratione, serium virtutis Christianæ studium, certum & necessarium esse *Fidei Moralis* effectum, quæ quippe in ipsis suis natalibus, ex solis, quæ ad virtutem amandam validissima continet Religio nostra incitamenti, (amore Dei, & fiducia morali) concipitur (r). In *Fide* autem *Mercenaria*, falsa est virtus & fucata, in *Theoretica* incerta & conditionalis.

His jam qualicumque expositis successu, quid de Fide Christiana in genere sentiamus facili patet negotio. Est nimirum illa: *Persvasio certa moralis & interna, de veritate, virtute & præstantia Religionis Christianæ divina, per caritatem in Christum actiuosa.*

r) "Die Erzeugung der Christlichen Tugend der Gesinnung nach, ist keine nach und nach bewirkte Veränderung, sondern erfolgt in eben dem Augenblick, in welchem der wahre Glaube seinen Anfang nimmt." REINHARD I. c. p. 85.

